2
6
11-c
88
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 A
41
…otheca
…l. Rom.
Jesu
62
6-11-c-88
22-5-1
22
c
68

Digitized by Google

Biblioth. Secr. Coll. Ro. Soc. Jesu

PANEGYRICI REGALES,

POTENTISSIMI REGIS,
CELEBERRIMI DVCIS,
INCLYTI REGNI,
& Nobilium Polonorum
laudibus contexti,

P.F. THOMAE VITALIS
Pedemontani à Monte Regali, S. T. M. Ord.
Prædicatorum

Olim Prouincialis Armeniæ maioris, & Miſsionarij Apoſtolici.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,
Typis Manelphi Manelphij. 1645.

Snperiorum permiſſu.

LIBELLVS ISTE tres Panegyricos continet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Titulus primi

SCHOLA IAGELLONA,

Titulus ſecundi

PIVS AENEAS, ET FIDVS ACHATES,

Titulus tertij

POLONIA INCLITO REGNO.

In primo

LADISLAI QVARTI, ET PRINCIPVM REGALIS FAMILIAE IAGELLONAE.

In ſecundo
STANISLAI KONIECPOLSKI,
&
NICOLAI OSTROROG.

In tertio
POLONIAE, ET NOBILIVM
POLONORVM
Laudes inſinuantur.

Primus
ITALIS,
Secundus
ALEXANDRO
KONIECPOLSKI,
Tertius
CONSTANTINO
LVBOMIRSKI,
Dicatus.

Ex

EX commiſsione Reuerendiſsimi Patris Generalis Fr. Thomæ Turci, attente perlegi libellum, cuius titulus eſt, *Panegyrici Regales*, à P. Fr. Thoma Vitali Sac. Theol. Mag. compoſitum, & nihil in eo reperi, aut fidei, aut bonis moribus contrarium, & quia ſtylus clarus, ſermo ornatus, & eruditus eſt, ideo typis mandandum cenſeo, ego infraſcriptus die 8. Aprilis 1645.

Fr. Gregorius Cippullus Mag. & Regens manu propria.

OPuſculum P. Fr. Thomæ Vitalis Sac. Theol. Mag. Ordinis noſtri, inſcriptum, *Panegyrici Regales*, quod Reuerendiſsimus P. Generalis Fr. Thomas Turcus, mihi recognoſcendum commiſit diligenter reuolui, & nihil in eo deprehendi Catholicæ fidei, ſeu bonis moribus aduerſum: ſed potius vbertatem eruditionis nõ mediocrem animaduerti. Quapropter dignum iudico, vt typis mandetur. Ita cenſeo die 12. Aprilis 1645.

Fr. Raymundus Capizuccus Sac. Theologiæ Mag. manu prop.

Imprimatur ſeruatis ſeruandis,

Fr. Thomas Turcus Magiſter Generalis Ordinis.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal.

A. Sacratus Epiſc. Comacl. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Thomas Camottus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Michaelis Mazzarini, Ord. Præd. Sacri Palatij Apoſtolici Mag.

F. THO-

F. THOMAS VITALIS à Monte Regali, Almæ. Prouinciæ vtriuſque Lomdiæ Ord. Præd.

Prouincialis Armeniæ Maioris, & Miſsionarius Apoſtolicus, Italis S. P.

LOngiſsimi itineris mei Armeniam, & Perſiam verſus arrepti diſcrimina multa, caſus varios, incommoda varia, hyemali præſertim tempore in mari Adriatico perpeſſa; in Poloniæ Inclyto Regno, perpetuæ obliuioni mādaui. Vidi enim inuictiſsimum, & glorioſiſsimum Regem, veræ fidei defenſorem, & propugnatorem acerrimum; vidi piiſsimam, nobiliſsimamque Reginam,

ginam, cuius pietatem omnes admirantur, ac liberalitatem experiuntur; vidi ſereniſsimam virginem, Annam Catharinam, in qua ſicut in illa Catharina Alexandrina, & nobilitas Regalis generis, & eruditio, & omnia tum animi, tum corporis ornamenta reſulgent; vidi Principem Carolum Antiſtitem, doctrina, vitæ integritate, morumque probitate conſpicuum; vidi etiam nonnulla loca in quibus Ladiſlaus veſtigia gloriæ ſuæ impreſſa reliquit. Hic (mihi dicebant itineris conſocij) Ladiſlaus vix electus in Regem caſtra poſuit: hic Moſcos Smolenſcum obſidentes vallo, & tormentis bellicis munitos, tamquã leo fortiſsimus aggreſſus validè propulſauit, ac præoccupata lo-

cæ deſerere coegit; hic eoſdem ſimul collectos obſedit, & eo anguſtiarum redegit, vt omnes ſi voluiſſet fame, & ferro conficere potuiſſet; ſed ne Moſci vt muſcæ morientes Regalis ſuæ clementiæ perderent ſuauitatem odoris, eoſdem liberos abire permiſit; hic redeuntes Moſci ſeipſos, & vexilla, ante Regem victorem proſternebant. His viſis, & auditis, refectus, & recreatus, itineris moleſtiam non ſentiebam. Omnia autem quæ audiebam de Rege Ladiſlao in corde meo ſeruabam, & tacitus conferebam cum ijs, quæ de eodem in noſtra Italiam fama pertulerat, & tandem concludebam, ſuorum præclariſſimorũ facinorum, nec mediam partem nobis fuiſſe nunciatam. Omnibus itaque vobis in Iagel-

lonos Reges de Chriſtiana Republica optimè meritos (maximè vero in Ladiſlaum) & in ſtrenuos Polonos ſummopere propenſos, rem gratiſsimam me facturum putaui, ſi ea quæ de tanto Rege à fide dignis audieram, vobis patefacere non grauarer. Supradictis vero ſermonibus, quaſi quibuſdam ſeminibus Iagellonæ gloriæ mens mea fœcundata, in ipſo Moſcouitico itinere hunc Panegyricum, & concepit, & peperit. Quem prius ſpeculum, poſtea mutato conſilio, SCHOLAM IAGELLONAM *nominandũ cenſui. Multi enim authores, & inter alios Ioannes Vitalis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui floruit anno 1300. ſuos libros nomine ſpeculi iam prætitularunt. Vobis au-*

tem

tem in quorum gratiam hunc Panegyricum compoſui eundemmet dico, & offero ea intentione, vt aliquis veſtrum ab ipſo excitatus, Iagellonas laudes à me curis itineris diſtracto rudi ſermone inſinuatas; ſedendo, & quieſcendo, vel carmine, vel ſoluta oratione fuſius pro dignitate proſequatur. Valete. Dorobuſio, die 21. Decembris 1638.

Multa in hoc Panegyrico cõtenta, ex infraſcriptis libris, & Authoribus, ſunt in Moſcouitico itinere, rememoratione deprompta.

Biblia ſacra,
Titus Liuius.
Q. Curtius,
Appianus Alexandrinus,
Hiſtoria Scanderbeg,
M. Tullius,
Guicciardinus,
Iouius,
Tracagnotta,
Gaſpar Bugatus,
Iulius Cæſar Campana,
Botterus.

SCHO-

SCHOLA IAGELLONA,

HActenus non ſatis in SCHOLA REGALI IAGELLONA profecere Moſci, & tamen tot egregios præceptores habuerunt, quot Reges Iagellonos qui cum ipſis bellarunt. Vnus Ladiſlaus Quartus inuictiſsimus, ptopter res præclaras celeriter, & feliciter confectas, propter animi magnitudinem, liberalitatem, clementiam, rei bellicæ peritiam Iulio Cęſari meritò comparãdus & coequandus; vnus Ladiſlaus cuius gloriam,

riam,

riam, egregias dotes, ſpeciem imperio dignã, affabilitatem grauem, & grauitatem affabilem, gratum exactumque ſermonem in vario idiomate ſapientiæ ponderibus libratum omnes ad ſui amorem obſeruantiam obſequium allicientem, trahentem, rapientem. nulla vnquã ſilebit ætas; vnus Ladiſlaus Chriſtianorũ Principum gloria, decus, & ornamentum, iam ſatis ſub Smolenſco illos inſtruxiſſe videbatur; cum ad inſtar Cæſaris venit vidit vicit, cum Moſcorum ingentem exercitum deuicit, cum illos quos fame & ferro conficere poterat; liberos & beneficijs affectos, ſumma pietate dimiſit.

Pepercit Cæſar M. Marcello,

lo, & in ipſum beneficia contulit, quod factum adeò celebrauit Marcus Tullius, vt ipſum Cæſarem non amplius cũ ſummis viris comparandum, ſed Deo ſimillimum iudicandum putauerit; quid nos dicemus de Ladiſlao Rege, qui non vni M. Marcello, ſed penè infinitæ multitudini Moſcorum pepercit, & bene fecit? Sub tanti magiſtri diſciplina iam ſufficienter vrbanitatem didiciſſe Moſci credebautur, ſed contrarium probauit euentus; viro enim ſub nomine Regij oratoris ad Regem Perſarũ properanti, non ſolum tranſitum per illorum regionem iteratis vicibus pertinaciter negarunt, ſed nec etiam regias litteras commendati-

datitias ad ipſorū Principem directas, vt deferret permittere voluerunt.

Homines re vera duri & intractabiles, qui Matthiæ Imperatoris Legatum ad Regem Perſarum, detentum ac relegatum ita occultarunt, vt viginti annorū ſpatio nihil vnquam aut de ipſo, aut de comitatu ſuo reſcitum fuerit, quem poſtea inſtante, & vrgente Ladiſlao, cum tota ſua Familia dimiſerunt.

Homines qui Ferdinandi II. Imperatoris Oratorem, ad ipſorum Principem tendētem, admittere noluerunt.

Homines qui Philippi II. Legatum ad Regem Perſarū. è ſuis finibus excluſerunt.

Homines qui Archiepiſcopum

pum Nexiuanenſem Ordinis Prædicatorũ Regis Perſarum Legatum ad Ladiſlaum, in Aſtracanẽſi ciuitate vnà cum ſocijs, per menſes octo detinuerunt.

Homines Nerone neroniores, qui milites Polonos captos in bello, diris cruciatibus affectos trucidabant.

Homines qui ſi in eas anguſtias redigiſſent Polonorũ exercitũ, in quas redacti fuerunt à Ladiſlao Rege; nec vni quidem, vt ipſimet dicebant pepercissent.

Homines qui Catholicos, & Catholicorum caput ſummo odio proſequuntur; bello tamen graui, ipſiſque valde pernicioſo à Rege Stephano vexati, ad Clementem VIII.

con-

confugerunt; qui Pontificia charitate, per Antonium Poſſeuinum virum inſignem illius magnæ Societatis, eoſdem cum Rege Stephano compoſuit.

Homines, qui non propterea aliquid de priori odio remiſerunt, ſimiles illis Leopardis Martyris Ignatij, qui beneficijs affecti deteriores fiebãt.

Homines, in quibus nulla cernitur vrbanitas, nulla gratitudo inuenitur, nullus viget humanitatis ſenſus.

Homines (Polonice dicam) nie obyczaini, nie ludzci, nie vvdzieczni, grubi, okrutny ſrodzy.

Sed quod Moſci non profecerint in SCHOLA REGALI IAGELLONA non

eſt

eſt mirum, quia rudes ſunt, & agreſtes (callidi tamen, malitioſi, verſuti) mirandum potius eſt, & etiam deplorandum, Principes fideles ingenio, prudentia, conſilio præditos; Principes Regalis domus Iagellonæ, in ſuis bellis exercendis non imitari. Hi poſtquam Chriſti fidem ſuſceperunt, & ſemper eandem integram ſeruarunt, & ſtrenuè propugnarunt, & contra Turcas, Scythas, Moſcos, bella toti Chriſtianæ Reipublicę proficua exercuerunt.

Et vt alios omittam memoratus Ladiſlaus cum parua manu, potentiſsimo exercitui Oſmani Turcarum Tyranni occurrit, decies ſecum acie pugnauit, eius furorem

repreſ-

repreſsit, impetum retardauit, ac iactabundũ Oſmanum Poloniȩ ſubiectionẽ minitantem eo vſque confudit, vt rebus pace ignominioſè compoſitis dedecore plenus ad propria redierit.

O rem admiratione dignã. Magna prorſus magna, ac formidanda eſt Ottomanorum potentia, validiſsimus, ac potentiſsimus exercitus maximè vero quando Tyrannus adeſt, cui nec ſummi Imperatores; nec glorioſi Reges, nec ſtrenui Duces, multoties reſiſtere potuerunt. Hinc ab Ottomanis Orientalis Imperator imperio priuatur, exercitus Ladiſlai Vngariæ Regis diſsipatur, ac funditur, & Rex ipſe interficitur; immo & exercitus

citus

citus Ferdinandi Primi Imperatoris duce Catianerio, ſerè totus trucidatur.

Hinc ab Ottomanis tot Principes è ſuis Principatibus eiecti, hinc ipſi Tyranni tot victorijs elati, noua sẽper moliuntur, & tentant; Hinc Oſmanus Regnum Poloniȩ ſubiugare propoſuerat, & exercitum adeo magnum omnibuſque rebus inſtructum comparauerat; vt & certam ſibi victoriam promitteret, & non ad dubiam pugnã, ſed potius ad triumphum proficiſci videretur, ac multoties exultãs, ac geſtiens ſuis ſatrapis dicere ſoleret; Maiores mei Sarmatas ſæpe tentarunt, ſed nunquam ſubiugarunt, hoc mihi cælum præclarũ facinus ſeruauerat.

Vires,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Vires,& iactantiam Oſmani Scytharũ Dominus augebat, quem cum innumeris Scythis ſecum habebat in caſtris. Tãti exercitus fama percrebeſcente Sigiſmundus Rex nobiles conuocat ad defenſionem Regni, & interim Ladiſlaum filium mittit cum copijs, vt furentem Oſmanum reprimat, & retardet vſque adeo, donec ipſe cum robore exercitus pugnaturus accedat. Satis feciſſet Ladiſlaus ſi vallatus, & aggeribus munitus impetũ Oſmani ſuſtinuiſſet; ſic enim & Marius in Gallia Cymbrorum exercitum repreſsit, ſic Quintus Fabius qui cunctando reſtituit rem, ſe geſsit contra Annibalem, ſic fecerunt & alij Duces clari.

ri. Sed id quod per ſe ſatis erat, quod alijs ſatis viſum fuit, generoſo, & magnæ indolis iuueni, ſatis non videtur. Alienum putat à Principe qui in SCHOLA REGALI IAGELLONA artem militarem didicerat, de bello tantum defenſiuo cogitare; ad offenſiuum animum erigit; Oſmano aperto Marte pugnaturus occurrit, decies ſecum acie dimicat, & toties de Turcis magnam ſtragem edit; tãtam virtutem filij Tyrannus admiratus, non ſibi tutum putauit expectare patrẽ, pacem petit, & obtinet, & magnam partẽ ſui exercitus deſiderans, qui iam gloriabatur de futura victoria, merens ignominiosè recedit; aduenit

poſtea

poſtea Sigiſmundus,cum magno nobilium Polonorum equitatu, & inuenit totam gloriam illius belli ad ſe traxiſſe filium,ſibique illam tantum reliquiſſe, de qua inquit Rex Salomon, *gloria patris filius ſapiens*.

Voluantur modo omnes Græcorum,& Latinorum hiſtoriæ, facta clariſsimorum ducum repetantur, nullum inueniemus, qui in iuuentute tam ſtrenuè, & tam præclarè ſe geſſerit,ſicut Ladiſlaus.

Summis laudibus efferunt Scriptores Alexandrum, qui adhuc iuuenis Bucefalum do mauit, quod nec etiam peritiſsimi equorũ magiſtri, præſtare potuerant. Laudetur itaque Alexander ab alijs, qui

in

in iuuẽtute, iam virtnte præeminet magiſtris equorũ; ego verò celebrabo Ladiſlaum, qui adhuc iuuenis, bellica virtute ſuperior apparet, ſummis Ducibus, Regibus, Imperatoribus, & cum paruo exercitu Ottomanam potentiam contundit, ac concutit, quæ illos magnos exercitus habẽtes, cõcuſsit, fregit, proſtrauit.

Sęculo proximè elapſo extitit celeberrimus Dux Princeps Epiri ScanderBeg, qui non numeroſis copijs, numeroſiſsimum exercitum Baiazetis Croiam obſidentis ſæpè adoriebatur; ſed quando? nocturno tempore, quaſi ex inſidijs, & aliqua ſtrage edita cum hoſtes dimicaturi inſurgebant, ipſe recedebat; ſed

Ladiſlaus cum paruis copijs, Xerſicum Oſmani exercitum non nocturno tempore inuadit, ſed diurno, ex æquo dimicans, numero militum longe inferior, virtute ſuperior, & tantam Oſmani, vim tãtam copiam, fractam debilitatam imminutam ſummopere reddit, ipſumque prius ſe iactantem, ad pacem petẽdam compellit, & cogit.

Selymi Turcarum Tyranni maximam ſuperbiam confregit Ioannes Auſtriacus tempore Pij V. & de eo maritimo prælio adeo celebrem victoriam obtinuit, vt eius ſingulis annis eadem die qua victor euaſit, ab eodem Pontifice inſtituta fiat commemoratio; ſed quomodo Auſtriacus

Dux

Dux talem, ac tantam victoriam eſt aſſecutus? totis ferè viribus Catholicorum ſimul collectis, & abſente Selymo. Oſmani maximã ſuperbiam, & arrogantiam repreſſit Ladiſlaus Iagellonus tempore Gregorij XV. & de eo terreſtri prælio inſignem adeò victoriam reportauit, vt illius quotannis ſtatuta die qua victoriam obtinuit ab ipſomet Gregorio inſtituta fiat commemoratio; ſed quomodo Iagellonus Dux victor euaſit? Nimirum modicis copijs, abſente Patre Rege cum robore exercitus, Oſmano, Dominoq. Scytharum præſentibus.

Mirandum eſt quod de Fabijs nobiliſsimis Romanis refert Titus Liuius, omnes il-

lius Familiæ ſimul collecti, & paruum exercitum formãtes ex ſolis conſanguineis conſurgentem, extra Vrbem egreſſi ſunt, contra hoſtes Senatus Populique Romani pugnaturi. Nunquam talis exercitus viſus eodem Liuio teſte, in quo quilibet miles, alibi potuiſſet eſſe Dux. Quid à tali exercitu militum & ducum, nobilium, conſanguineorum, non tentandum, non perficiendum, non expectandum? ſi virtus vnita fortior, ibi omnes arctiſsimo conſanguinitatis vinculo iunguntur; Si ordo maximè confert ad victoriam, ibi nulla confuſio timenda, vbi omnes rei bellicæ magiſtri; ſi milites quo nobiliores eo magis ad res præclaras

exci-

excitantur, accenduntur, inflammantur; ibi omnes clariſſimi; ſtrenuè itaque vt par erat ſe geſſerunt, ac multis in prælijs victores euaſerũt: ſed laus in fine canitur. Tandem poſt tot victorias remiſsius ſe agẽtes, incautius incedentes, inimicos multoties deuictos paruipendẽtes; quadam die præter expectationẽ circumuenti, omnes opprimũtur, conficiuntur, delentur. In quo viri alioquin prudentes maximè defeciſſe videntur, quia inimico non totaliter profligato omnimodã ſecuritatem ſibi ipſis promiſerunt. Victi enim aliquando audaciſsima cõſilia capiunt, quæ vt inquit Liuius in rebus deſperatis tutiſsima ſunt. Hinc ab Africa-

Hinc Totila Gottorũ Rex Roma deuicta, cum intellexiſſet multos equites in Capitolio collectos deditionem recuſantes, dimicare velle, & glorioſam mortem ſubire; vtrumque periculoſum ratus, & inimicos non totaliter profligatos in vrbe manere, & de ſalute deſperantes inuadere; prudẽter illos liberos ad placitum abire permiſit. Hinc Cęſar poſt Pharſalicam victoriam, Sextũ Pompeum Pompei Magni nepotem cum alijs in Hiſpaniam fugientem paruipẽdens, & iam omnimodam ſibi quietem, & ſecuritatem promittens; roborato Sexto Pompeianis vndiq. ad ipſum confluentibus, coactus fuit de nouo, & non ſpernendo bel-

ſo Cæſare poſt tot victorias, paueſcit occurſum & cõgreſſum noui Ducis paulo ante deuicti. Tunc Cæſar ira excandeſcens, infremuit, & dixit: Hic igitur erit vltimus dies Cæſaris? ſic terminabitur gloria ſua? haſtamque à proximiori milite violenter arripiens, audacia furens in medios hoſtes ſe coniecit, extremo morbo extremum remedium adhibens. Cæſariani milites exemplo Ducis excitati, & tanto ipſius periculo permoti ad ſe ipſos redierunt, ac ſtrenuè dimicantes victoriam ſunt conſecuti, Marte adeo dubio & incerto, vt dicere ſoleret Cæſar, ſe in alijs prælijs pro gloria dimicaſſe, in illo vero non pro gloria conſe-

quenda,ſed pro tuenda,atque ſeruanda vita. Tantum periculũ ſubiuit Cæſar inimicum non totaliter profligatũ contẽnendo. Hinc Ioſue de Regibus Amorrhæorũ victor exiſtens, & cõpletam victoriam nón exiſtimans niſi illos totaliter profligaret, quod impediebat nox ſubſecutura; ſoli ad occaſum properanti præcipit vt ſiſteret.

Nunquam itaque ſummus Dux in exercitu inimicum nõ totaliter profligatum contemnere debet, incaute procedere, remiſsius agere, vt mirum ſit hoc neque exercitum Fabiorum, neque prudentiſſimum Cæſarem animaduertiſſe. Sed quod non animaduertit Cæſar; quod non animad-

uerterunt omnes Fabij ſimul collecti, vnus animaduertit Ladiſlaus, qui licet in omni militari congreſſu contra Oſmanum ſuperior euaſiſſet, nõ elatus, non negligens, non incautus factus eſt; ſed priorem ſollicitudinem & vigilantiam nunquam remittens, milites & ſe ipſum Reipublicæ gloriosè ſeruauit.

Deuicto Maſſentio arcus inſignis erectus fuit Romæ Cõſtantino cũ hac inſcriptione:

LIBERATORI VRBIS
FVNDATORI QVIETIS.

deuicto Oſmano arcus triumphalis Cracouiæ erigẽdus erat Ladiſlao cũ ſimili inſcriptione vno tantum caractere mutato.

LIBERATORI ORBIS.

nè dum enim Poloniæ, ſed & totius Europæ ſalus ex illo bello pendebat.

Sed ſi talia præſtat Ladiſlaus iuuenis, Princeps, iu SCOLA Regali Iagellona diſcipulus, ſub regia diſciplina Patris Sigiſmundi; quid faciet ætate prouectior, Rex, rei bellicæ magiſter? quid non faciet? Ad Regni faſtigiũ euectus, Smolenſcum ſtatim ab obſidione liberat.

Smolenſcum arx munitiſtiſsima eſt & celeberrima, ſtructura, latitudine, altitudine, & magno circuitu murorum inſignis, turribus ſex ſupra triginta validiſsimis circumdata, à Moſcis longo tempore magnis expenſis, magnoque labore cõſtructa, à Sigiſmun-

do

do III. vi & armis capta, à Moſcis pluries tentata, ſed nunquam recuperata. Mortuo deinde Sigiſmundo (cuius innumeras laudes quas alij prolixo ſermone proſecuti ſunt, nos vno verbo complectimur, dicentes: Filium habuit Ladiſlaum) Moſci qui illo adhuc viuente ingentem exercitum pro recuperatione dictæ arcis comparauerant, licet tempus induciarum iuramento firmatarum nondum eſſet expletum; diuinum ius contemnentes, & ius gentium ſpernentes, perfidi, ac periuri copias ducũt, & Smolenſcum obſident. Innumerabilis fuit illorum exercitus, incredibilis apparatus tormentorum bellicorum, quorum exploſione,

mul vnitos ſi inuadit Ladiſlaus, victoriam obtinebit ille quidem (hoc in dubium non vertendum) ſed non exiguo Polonorum ſanguine madefactam, & rubram; huiuſmodi autem victoriæ, vt quidam cecinit, minus laudabilem Ducem reddere ſolent; Ducem vero domus Regalis Iagellonæ (maximè vero Ladiſlaum cuius vel ipſum nomen laudem reſonat) opera tãtum ſummè laudabilia decet exercere; ſi illos non inuadit, arcis obſidio integrè non auſertur.

Ladiſlaus nouus Annibal per loca inuia ſumma celeritate exercitum ducit, caſtra ad terga inimicorum in loco aptiſsimo diſponit, illos omni

ni commeatu priuat, ac du-
ra obſidione præmit. Moſcis
vtrumque læthale, manere in
campis & egredi, egredientes
ſtatim interficiuntur, manen-
tes verò fame conficiuntur.

Ladiſlao tandem inuiti, &
coacti ſe dedunt, qui illos li-
beros clementer dimittit, &
pro reditu etiam annonam li-
beraliter ſubminiſtrat. Re-
deuntes autem humiles trãſi-
bant coram glorioſiſſimo Re-
ge, & omnes vexiliferi ſe ip-
ſos, & vexilla ante pedes ipſius
proſternabant. Stupebant au-
tem, & mirabantur vehemen-
ter, ipſorum exercitum tam
magnum, ab exercitu tam
paruo, primo à præoccupatis
ſtationibus exturbatum fuiſ-
ſe, deinde ſimul collectum,
cir-

circumuentum, obſeſſum, & ad deditionem redactum.

Quid ſuper hoc miramini Moſci, quid miramini? Nõne aranea tela ſua innumeras muſcas concludit, & capit, & licet paruula, muſcas tamẽ magnas inuadit & necat? quid mirũ ſi aquila Iagellona grandis, ac generoſa vos Moſcos quaſi muſcas moleſtos, & importunos proſtrauerit?

Si innumeræ muſcæ inſurgant contra aquilam, nonne omnes illas vnius tantum alæ concuſſione ſtatim abiget, ac diſſipabit? quid mirũ ſi aquila Iagellona vna tantum ala vos fuderit; ſi generoſus Rex non cum toto robore exercitus, cum paruis copijs vos ita deiecerit?

Miran-

Mirandum potiùs eſt, vos toties à Iagellonis Principibus deuictos, denuo tentare contra illos inſurgere. Et vt alios omittam, nonne Sigiſmundus III. vobis Stolizzam veſtram Regiam cœpit? nonne duos Principes veſtros Baſilium, & Demetrium captiuos vſque ad mortem habuit? nonne Smolenceníem arcem à vobis inexpugnabilem prędicatam, pro qua cōſtruenda tantum temporis conſumpſiſtis, videlicet ſeptem annos pro ſola præparatione materiæ, & alios ſeptem pro completa ſtructura; ipſe expugnauit, & cœpit, totumq. Ducatū Seuerienſem vobis ademit? Adhuc nō ſatis in SCHOLA REGALI IAGELLONA

ad

à ſummis rei bellicæ magiſtris remanſeratis inſtructi, vt noua vobis opus eſſet lectione Regis Ladiſlai? Iam illam habuiſtis, ipſius ferulam experti eſtis, plagas numeraſtis, habebitis,& alias ſi opus erit; opus autem erit voluentibus annis vt opinor; vos enim Moſci muſcas imitamini,quæ multoties expulſę redeunt tamen ſemper,nec deſiſtunt,donec grauiter percuſſę cadant; ſic vos toties deuicti, noua tamen ſemper molimini, nec deſiſtetis, donec ab aquila Iagellona, roſtro & vnguibus grauiter percuſsi, imperio veſtro cadatis.

At diutius fortaſſe circa muſcas viles immorati ſumus, ad aquilam generoſam redeamus.

mus. Quis præclariſsimorum Ducum, qui vel noſtra, vel priſca floruerunt ætate, adeò celeriter, ſortiter, audacter obſeſſam arcẽ liberauit? quis tam ſtrenuè, & tam præclare ſe geſsit ſicut Ladiſlaus?

Annibal Capuam in ipſum mirificè propenſam, à duobus Romanis cõſulibus obſeſſam, nunquã ab obſidione potuit liberare, & tamẽ præclara illi ſeſe obtulit occaſio, dum vnus illorum receſsit cum validiori milite.

At hoc non reſciuit Annibal, dicet aliquis vt ipſum excuſet. Hoc non reſciuit? ipſi imputetur, eius incuriꝫ adſcribatur. Recedit ab exercitu vnus ex conſulibus, non ſolus ſed cum firmiori parte, moratur

tur per multos die,& hoc Annibal ignorat? Si Romanos vallo munitos inceſſanter oppugnaſſet, ſicut oppugnabat Moſcos Ladiſlaus, ex debiliori defenſione, vtique animaduertiſſet exercitum imminutum.

Addo, ſi vt Romanos ab obſidione Capuæ addefenſionē Patriæ reuocaret Vrbem cepit obſidere, quare re infecta receſsit? quare opus prudenter inchoatum imperfectum reliquit? ſi non recedebat, incolumis ipſius frater adueniſſet, nullumque detrimentum paſſus fuiſſet. Et ſi Romani vix, ac ne vix quidem multoties ipſi ſoli reſiſtere potuerãt, quid feciſſent in aduentu Aſdrubalis ſtrenui Ducis, validumque

dumque exercitum ducentis ? Ne dum amplius illis locus vllus relictus ſuiſſet ad oppugnandam Capuam,ſed vix ad Patriam defendendam .

Receſsit (inquis) quia in duobus militaribus congreſsibus ingens pluuia de cælo decidit . Ita ne ? ſic diſsimilis ſibi ipſi factus eſt Annibal ? Prius animo infracto nouam ſibi viam per ardua cacumina montium in Italiam parauit, & neque frigora,neque niues, neque aliæ graues difficultates ipſum deterrere , & à propoſito auocare potuerunt, & modo ita vel delicatus , vel ſuperſtitioſus effectus eſt, vt propter vanam obſeruantiam cæleſtium imbrium quod bene cęperat opus nõ abſoluat,

animoque deficiat? Capuanæ delitiæ ita mentem eius hebetarũt, vt Vrbis obſidionem in qua viriliter, & conſtanter perſeuerandum erat; ſatis leuiter ſoluerit, & ſummum bellicum congreſſum cũ Scipione Carthaginem obſidente, quem in bello defenſiuo ſubterfugere debebat, & ad inſtar Quinti Fabij cunctando rem reſtituere; animosè potius quam prudenter (ſicut & quidam ex noſtris contra Gallorũ Regem Ludouicum Vndecimum) non detrectauerit. Sed Annibalem iam ſatis tortum linquamus.

Alexander Farneſius noſtris tẽporibus Dux celeberrimus, Lutetiam Pariſiorum ab obſidione liberauit ille quidem, & egre-

bilis, adeò terribilis, & formidabilis in bello, adeo placidus, & affabilis in pace, vt non idem videatur Ladiſlaus qui bella gerit, & qui fruitur pace; Rex qui licet contra tot potentiſsimos hoſtes dimicauerit, ſemper tamen victor euaſit; Rex cuius exercitus nullã obtinuit victoriam, niſi ipſo præſente, & dirigente.

Multas victorias obtinuit Philippus II. Hiſpaniarum Rex, quibus tamen ipſe non interfuit, vnde illarum gloria potius in ſupremum exercitus Rectorem redundare videbatur quã in ipſum Philippũ. Quod nec etiam ignorauit Philippus; cum enim Emanuel Philibertus Inclytus Princeps, & Sabaudiæ Dux,

(quem idem met Philippus Ducem inter Reges, ſed inter Duces Regem appellare ſolebat) poſt celebrem illam victoriam S. Quintini de Gallis reportatam Regem inuiſens ipſius manum vellet oſculari, hoc non permiſit Philippus, ſed manum Emanuelis arripiens, ad me (inquit) ſpectat hanc manum oſculari, quæ mihi tot mirabiles victorias impartitur.

Pater vero Philippi Carolus Imperator pluribus prælijs, & victorijs interfuit ille quidem, ſed non omnibus. Victus, & captus fuit ab exercitu Caroli Franciſcus Gallorum Rex, ſed Carolo abſente. Fugatus in Africa infidelium exercitus, Carolo quidẽ præſente,

ſente, ſed pugnæ tantum ſpectatore. Totam enim ſuam authoritatem in die illius certaminis, trãſtulit in Marchionem dictum de Vaſto; qui inſtante prælio ſibi traditam authoritatem exercens, Imperatori præcepit, vt ad tutiorem locum vexillorum ſe transferret, ne aliquo tormentorum bellicorum ictu appeteretur, & mox ſubſecutura turbaretur victoria; cui ille ſubridens ait: nullus Imperator huiuſmodi ictibus fuit vmquã percuſſus in bello; (tale infortunium Marchioni non obtemperãs potuiſſet ipſe primus experiri,)& ſtatim fręno equum circumuoluens, ad locum ſibi præſcriptum properauit; ſed Ladiſlaus omnibus prælijs, &

victorijs, (fuerunt autem prę-
lia multa, multæ & victoriæ)
ſemper interfuit omnia diſpo-
nens, ac dirigens. Carolus non
ſemper victor euaſit, ſecunda
vice in Africa, exercitu ſatis
imminuto vix incolumis re-
ceſsit; & cum ſuadente Anto-
nio de Leua Galliam penetra-
uit, ſed non eo felicitatis cur-
ſu, ac rerum exitu, quem ſibi
perſuadebat Antonius, mor-
bo in exercitu graſſante coa-
ctus fuit retrocedere, quem ſi
Frãciſcus inſecutus fuiſſet, for-
ſitan par pari rediddiſſet, & Pa-
pienſem cladem, ac infortu-
nium equaſſet; ſed ipſe ſuis
Ducibus hoc illi ſuadere co-
nantibus reſpondit: Inimico
fugienti pons aureus cõficien-
dus. Noſtrum autem Ladiſ-
laum

laum nullus vnquam fugientem conſpexit, ſed ſemper vincentem, & alios in fugam conuertentem. Gloria Caroli, & Fraucifci Gallorũ Regis minui aliqualiter videtur ex eo, quia per multos annos non cõtra infideles, ſed in mutuam perniciem acies direxerũt, vnde ea detrimenta ſubſecuta, quæ enumerat Iouius; gloria Ladislai augetur, quia numquam cõtra Catholicos arma vertit, numquam Catholicorum ſanguinem fudit, ſemper contra Turcas Moſcos, & alios veræ Religionis infenſiſsimos hoſtes, exercitum duxit, acies inſtruxit, gladiũ impugnauit.

Glorioſus Ladiſlaus, glorioſior glorioſis, magnus inter magnos, & maior ipſis magnis.

Tres inuenio qui ob res præclare geſtas magni ſibi cognomentum compararunt, ſcilicet Põpeum inter Duces, Alexandrum inter Reges, & Carolum Gallorum Regem, inter Imperatores; ſed in domo Iagellona omnes Reges Magni ſunt, pręcipuè vero Ladiſlaus. Magnus dicitur Põpeus, qui Romanam Rempublicam in Aſia amplificauit; Magnus Alexander, qui domuit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, qui Darium Regem Perſarum, & Porum Regem Indorum deuicit; Magnus Carolus, qui Deſiderium Longobardorum Regem, Romanum Pontificem vexantem, ſuperatum, & captum, captiuum du-

xit

xit in Galliam, qui fines Romani Imperij dilatauit. Magni itaque dicendi ſunt omnes Reges Iagelloni, qui toties à tot potentiſsimis hoſtibus impugnati, numquam expugnati fuerunt; ſed illos reprimentes, propulſantes, multis cladibus afficientes victores euaſerunt, & Polonorũ Rempublicam, vnum ex præcipuis Reipublicę Chriſtianę propugnaculis, cuſtodierũt, defenderunt incolumem ſeruarũt; NON ENIM MINOR VICTORIA EST NOVA REGNA ACQVIRERE, QVAM PARTA TVERI; præſertim vero Magnus Ladiſlaus, qui Turcarum Tyrannum, & Scytharum dominum, duobus potentiſsimis exercitibus ſimul vnitis in-

perniciem Poloniæ conſpirã-tibus, pluribus in prælijs non numeroſis copijs aperto Marte deuicit, & Moſcorum ingentem exercitum ſine ſanguinis effuſione ſuorum militum ad deditionem compulit. Facinota adeo præclara, atque memoranda, vt nullus ex illis tribus magnis opus aliquod ſupradictis comparandum præſtiterit. Maior ergo magnis.

Ex his quilibet, vel mediocris ingenij, eruditionis, experientiæ, quæ & qualis ſit Principum Iagellonum in rebus bellicis peritia, facile conijcere poteſt.

Hoc noſtro ferè ſeculo, Dux Albæ duos Comites in Germania inferiori vltimo ſupplicio affici iuſſit; quod egrè fe-

rentes

rentes Olandenſes, & implacabile odium cōtra Hiſpanos concipientes, Catholicorum Regum ſuaue ſubiectionis iugum excuſſerūt. Si vi & armis illos denuo ſubijcere oportebat; hoc præſtandum erat validiſsimo exercitu, cui nullo modo reſiſtere valerent, Hoſtes enim paruis copijs laceſsiti, inſtruuntur in bello, non vincuntur. Hinc in Scriptura ſacra habemus, non permiſiſſe Deum totalem expugnationem Cananæorum, vt filij Hebræorum naſcituri, qui bella Cananæorum, non nouerant, ex illis reliquijs multoties vexati, erudirentur in re militari, & belligerandi rationem addiſcerent. Modicis copijs in principio impugnati ſunt

Olandenſes, ſed nõ expugnati, imò ſic eruditi, & inſtructi, vt etiam bellum offenſiuum exercẽtes, multoties munitiſſimas arces ceperint, vt etiam in noua Hiſpania contra ipſum regem arma verterint, vt Theſaurum ex illis regionibus delatum maritimo prælio cõmiſſo, & victoria obtenta, aliquando prædauerint; vt Duces, ac Milites, qui in eorum regionibus militiam exercuerunt, & contra illos pugnauerunt, apud omnes in honore habeantur, & valde ſtrenui, ac verſati putentur.

Si itaque Olandenſes noſtris temporibus ex continua armorum tractatione ſic in re bellica eruditi facti ſunt, quid de Principibus Domus Regalis

lis Iagellonæ, quid de Poloniæ Inclyti Regni Regibus, qui iam per tot ſæcula contra Moſchos, Scithas, Turcas, alioſque potentiſſimos hoſtes continua bella geſſerunt, & ferè ſemper gerunt, vt mirum ſit modo pauliſper requieſcere, ſentiendum eſt? Abſit inuidia verbo ſicut abeſt mendacium, neceſſario inferre debemus, ipſos in tota Chriſtiana Republica eſſe primos rei bellicæ magiſtros, & omnes alios quantumlibet verſatos, attamen noui aliquid quod neque in Vegetio legerunt, neque in Germania inferiori aut alibi vſu, & experimento didicerunt, addiſcere poſſe in SCHOLA REGALI IAGELLONA, maximè verò à

Ladislao Rege, qui & ea quæ ſpectant ad optimum Regem, & ea quæ requiruntur ad ſtrenuum Ducem ita perfectè, & cumulate continet, vt nihil ipſi deeſſe, nihil in eo amplius deſiderari poſſe videatur.

Poſt Canenſem pugnam, & magnam illam Romanorum ſtragem, Maharbal præfectus equitum Annibalem hortabatur, vt nulla interpoſita mora exercitum ad vrbis mœnia traduceret, futurum vt infra paucos dies in capitolio epularetur; qui ſaluberrimo illius cõſilio quo bellum totaliter abſoluiſſet, aquieſcere noluit; tũ ille: Non omnia nimirum eidem Dij dedere, vincere ſcis Annibal, victoria vti neſcis. Hoc bene de Annibale, bene

de

de alijs dictum, de Ladiſlao verò aliter ſentiendum, in ipſo enim omnia congeſta, vt eũ meritò appellare poſſimus italicè vulgariter loquendo:

Stillato è quinta eſsenza,
De' più ſamoſi e glorioſi heroi.

Octauianus Auguſtus, tot fuit egregijs partibus ornatus, ac tot præclara facinora edidit, vt etiam ipſos Romani nominis hoſtes, ad ſui amorem, & obſeruantiã alliceret. Hinc Parthorum Reges qui Romanam Rempublicam & Romanum Imperium ſemper floci fecerãt, qui Marcum Craſſum cum omnibus ſuis copijs trucidauerant, qui Valerianum Imperatorem deuictum, & captum numquam liberare voluerant, & ipſius humeros

equum

equum aſcenſuri calcauerant, fama tamen virtutum, & præclariſſimorum facinorũ Octauiani permoti, legatos ad ipſum miſerũt, ipſius amicitiam poſtulantes. Ladislaus Iagellonus tot egregijs dotibus refulget, tot heroicis virtutibus emicat, tot magna ac memoranda facinora edidit, vt etiam Magnos Principes nõ eandem religionem profitentes ad ſui amorem, & obſeruantiam attraxerit; vt potentiſſimus Dominus Sophi, Perſarum, Medorum, & Parthorum Rex, Archiepiſcopum Nexiuanenſem Ordinis Prædicatorum, legatũ ad Ladislaum miſerit, ipſius amicitiam requirens: vt Michael Fiedorouicz, Aſtraccenenſis, & Sibirienſis Rex,

Ma-

Magnuſque Dux Moſcouiæ, poſt reditum exercitus ſub Smolenſco deuicti, bellicam virtutem, magnitudinem animi, & Regalem clementiam Ladislai admiratus, ex inimico amicus factus, eo erga ipſum amoris excreuerit; vt per Legatum à Ladislao in fratrem acceptari poſtulauerit.

Quid amplius in laudem Regis Ladislai aut dici, aut cogitari poteſt? Felix Polonia quę talem habet Regem. Talis eſt Ladislaus Rex, tales ſunt Principes domus Regalis Iagellonæ, talia bella gerunt.

Dictis aliquis opponet, ipſos etiam contra Catholicos arma vertiſſe, & Magnũ Magiſtrum Pruſſię omneſque milites eius, vi adhibita è ſuis ſe-

dibus

dibus expuliſſe. Scias benigne lector huius noſtri Panegyrici huiuſmodi magiſtros, & milites, à Regibus Hiſpaniarum, & Angliæ, expulſos fuiſſe è ſuis Regnis tamquam inquietos, ac pacis turbatores, à Principibus vero Iagellonis ſumma humanitate receptos, ac parte Pruſſiæ donatos ſub ea conditione, vt ſibi in bello cõtra infideles adiumento forent. Qui ſuis rebus ibi bene firmatis paulatim ſerpere cæperunt, aliena inuadere, loco infideliũ fideles impugnare, omnia turbare, miſcere, confondere, & ſic dũ in bello contra infideles detinebantur Iagelloni Principes, ab ijſdem domi oppugnabantur, à quibus debebant adiuuari. Quam temeritatem

diutius

diutius diſimulatam tandem reprimere coacti, ingratos hoſpites beneficiorum immemores in hoſtes commutatos, quos omnino delere potuiſſent, clementiam exercendo à finibus Inclyti Regni tantum eiecerunt. Cæterum Iagelloni Principes non aliena rapiunt, ſed propria diuidunt, non priuata commoda quærunt, ſed publicam tantum vtilitatem ſpectant.

Ladislaus Iagellonus Magnus Dux Littuaniȩ, & primus Rex Poloniȩ huius Magnȩ familiæ, poſt veram religionem ſuſceptam epiſtolis, ſua ſorijs, & exemplo totam Littuaniam ad Chriſti fidem amplectendam induxit, eandemque in qua merum, & miſtum habe-

bat,

bat, & exercebat imperium, Polonorũ Reipublicæ vniuit. Hæc valde admiranda; non in politicis modernis leguntur, ſed in SCHOLA REGALI IAGELLONA addiſcuntur.

Actum eſſet de Ottomano Imperio, de Turcis, Scythis, cæteriſque omnibus verè religionis infenſiſſimis hoſtibus, ſi alij Principes per illorum veſtigia gradirentur; ſed propter peccata noſtra diuinam iram prouocantia contra Catholicos ſæpe arma vertunt; ac multoties ſanguinem Catholicorum effundunt. Ipſorum diſcordijs Turcarum imperium roboratur, infidelium vires augentur, & Chriſtiana Reſpublica ſæpenumero in diſcrimen adducitur. Heù Prin-

Principes fideles, heù Principes.

Commotiones magnas qua ſuſcitauit in orbe terrarũ Alexãder Macedo, bella quæ geſſit, victorias quas obtinuit perſtringunt ſacræ Paginæ in libris Macabæorũ, & tandem de eodem concludunt: poſt hæc in lectum decidiſſe, & cognouiſſe quia moreretur; Principes fideles armis, & bellis magnas commotiones excitant in vniuerſa terra, exercitus parant, arces obſident, ciuitates oppugnant, & expugnant, ſed poſt hæc quid ſubſequetur? decident in lectum, & ingraueſcente morbo, pallida mors, quę æquo pulſat pede, pauperum tabernas, regũque turres, aderit, & licet principes

cipes morientur; Ante tremendum Chriſti tribunal iudicandi ſiſtentur;ad inſtar Regis Baltaſſaris in ſtatera appendentur, ſi inuenti fuerint minus habentes (quod Deus auertat) in infernum detrudentur, non leuioribus, non mitioribus pœnis afficientur; ſed acrioribus ſupplicijs in æternum cruciabuntur. Heù Principes Fideles, heù Principes.

Quidam magnus princeps morti proximus, crucifixũ ſic alloquebatur. Per aliquam aliam viam Domine Ieſu principes in Paradiſum deducere debes, neque enim fieri poteſt, vt per communem alijſque præſcriptam, beatitudinem æternam conſequantur.

Fortè

Fortè exiſtimabat, Deum qui per currum Eliam trāſtulit in paradiſum terreſtrem, principes etiam per currum, vel carpentū, in paradiſum cæleſtem translaturum. Arctam viam ad cælum dirigentem inuenio in Scriptura ſacra, latam ad æternam damnationem ducentem, currus autem, & carpenta, pro principibus in paradiſum deducendis nō inuenio. Heù Principes fideles, heù Principes.

Eia Principes, vobis proſpicite, vobis conſulite, iram reprimite, arma deponite, iam tandem quieſcite, vt populi, vt ſubditi veſtri requieſcant aliquando. Cauſas diſcordiæ per oratores in SCHOLA REGALI IAGELLONA proponi-

ponite; Magnum Magiſtrum, Sapientem Regem atque prudentem, arbitrum veſtrum, & plenipotentiarium eligite; ipſe difficultates gordianos nodos, non vt Macedo violentia adhibita, ſed mira ſuauitate, dexteritate, facilitate diſſoluet; lites dirimet, diſcordias finiet, animos vniet, & inter vos firmam perpetuamque pacem ſtabiliet. Sed poſtea quid agendum? opus aggrediendum Deo gratum, vobis glorioſum, omnibus Chriſti fidelibus iucundum, bellum generale cõtra Turcarum Tyrannum ineundum, & proſequendum vſque adeo, donec corruat, frangatur, conteratur, ad nihilum redigatur hæc Nabucdonoſoris ſtatua Ottomanæ potenten-

tentię. Supremus Dux Reipublicę Chriſtianę eligendus Ladislaus; ipſi ſummo rei bellicæ Magiſtro, ſumma hæc expeditio committenda. Si non numeroſo exercitu Turcarum Tyrannũ, & Scytharũ Dominũ deuicit, quid faciet veſtris Theſauris, & militibus adiutus? profligabit vtique breui temporis ſpatio, profligabit, deſtruet euertet Ottomanorum vaſtiſſimum Regnum, audaciam cõprimet, ſuperbiam reprimet, fauſtum deprimet, Romanorum Imperium in Oriente collapſum, eriget, reparabit, reſtaurabit, confirmabit, gloriam Chriſtianorum reſtituet, & Chriſtianam religionem propagabit. Poſt hæc Romanus Pontifex (vt credi-

mus, ſperamus, optamus) ipſum Ladislaum cum ſucceſſoribus Orientalem Imperatorem declarabit. Tunc omnes nationes (præcipuè verò Itali qui Ladislaum ſemper amore, & obſeruantia peculiari proſecuti ſunt,) plaudent, feſtos choros ducent, vbique ſigna letitiæ relinquent, & letis acclamationibus Ladislai nomen vſque ad ſydera tollent in hæc verba erumpentes: Viuat diui felix, viuat Orientalis Imperator DECVS SEPTENTRIONIS, ET PRAESIDIVM FIDEI LADISLAVS, & multis ex locis voces repercuſſæ, ſic diminutæ redibunt, & reſonabunt:

laus

laus laus laus

LADISLAO MAGNO

IAGELLONO

in æternum, & vltra.

Quis enim propter egregias dotes, & ſummam rei bellicæ peritiam Iulio Cæſari merito comparãdus, & coequandus? LADISLAVS laus

Quis decorus aſpectu gratus eloquio affabilis, & grauis LADISLAVS laus

Quis pius, quis clemens inimicis, & parcens, & benefaciens? LADISLAVS laus

laus laus laus

LADISLAO MAGNO

IAGELLONO

in æternum, & vltra.

Quis cum paruis copijs potentiſſimo Oſmano pugnaturus occurrit LADISLAVS laus

Quis decies ſecum acie dimicat, & ſemper magnas ſtrages edit, & victor glorioſus euadit? LADISLAVS laus

Quis ſuperbum Oſmanum de Polonia quaſi iam, capta deuicta ſub tributo redacta ſe iactantem ad pacem petendã compellit, & cogit? LADISLAVS laus

laus laus laus

LADISLAO MAGNO IAGELLONO

in æternum, & vltra.

Quis adhuc iuuenis ſummis Ducibus Regibus, & Imperatoribus virtute ſuperior? LADISLAVS laus

Quis Scanderbego, & Ioanni Auſtriaco præferendus? LADISLAVS laus

Quis omnibus Fabijs, & Ceſare

ſare prudentior? LADISLAVS laus

laus laus laus

LADISLAO MAGNO

IAGELLONO

in æternum, & vltra.

Quis Smolenſcum ab obſidione liberat? LADISLAVS laus

Quis Moſcorum in gentem exercitum ad deditionem cõpellit? LADISLAVS laus

Quis ipſos perfidos, & periuros liberos clementer dimittit, & pro reditu etiam annonã liberaliter ſubminiſtrat? LADISLAVS laus

laus laus laus

LADISLAO MAGNO

IAGELLONO

in æternum, & vltra.

Quis Annibale, quis nun-

 quam

quam ſatis laudato Parmenſi laudabilior ? LADISLAVS laus

Quis glorioſis Principibus glorioſior ? LADISLAVS laus

Quis magnus inter magnos, & maior ipſis magnis ? LADISLAVS. laus

laus laus laus

LADISLAO MAGNO IAGELLONO

in æternum, & vltra.

Quis in chriſtiana Republica primus rei bellicæ magiſter? LADISLAVS laus

Quis omnia requiſita ad ſtrenuum Ducem,& optimum Regem cumulate continet? LADISLAVS laus

Quis Octauiano Auguſto ſimilis LADISLAVS. laus

laus

laus laus laus
LADISLAO MAGNO
IAGELLONO
in æternum, & vltra.

Quis (vt ſperamus) Ottomani Imperij euerſor, & profligator futurus? LADISLAVS laus

Quis Cattholicam Religionis in Oriente propagabit? LADISLAVS laus

Quis Orientalis Imperator (vt credimus, & deſideramus) Turca deuicto, & profligato à Pontefice Romano declarabitur? LADISLAVS laus

laus laus laus
LADISLAO IV. MAGNO
IAGELLONO
in æternum, & vltra.

Digitized by Google

PIVS ÆNEAS,
ET
FIDVS ACHATES
Panegyricus

P.M.F.THOMAE VITALIS
Pedemontani à Monte Regali Ord. Prædic.

ILLVSTRISSIMO D.

D. ALEXANDRO

KONIECPOLSKI

Vexillifero

POLONIÆ INCLYTI

REGNI

DICATVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D.
D. ALEXANDRO KONIECPOLSkI
Vexillifero Poloniæ
Incliti Regni.

F. THOMAS VITALIS à Monte Regali, Almæ Prouinciæ vtriuſque Lombardiæ Ord. Præd.
S. P.

ALexander adhuc iuuenis, dum fortiſſimi Achillis egregia facta perlegeret, & Philippi Patris præclara facinora audiret, mentem erigebat, & ſe quoque dum ætas, vireſque permitterent, per eaſdem ſemitas gloriæ, & honoris incedere velle, ſtatuebat. Panegyricus hic meus,

genitoris tui laudes, & præclara ſacinora continet; inquibus Inclyti Regni Pocillatorem ſocium ſemper habuit. Hic tibi perlegendus erit, vt ad ipſius imitationem magis, ac magis excitere. Nomen geris magni Regis, genitorem habes clariſſimum Ducem, reliquum eſt vt facta etiam, & nomini, & genitori reſpondeant. Hoc a te exigit Polonia, hoc ſperat, hoc tibi contendendum erit in prouectiori etate. Vale, & viue diu fælix, gloriæ, honori, Patriæ. Dat. Cracouiæ die 14. Auguſti 1642.

PIVS

PIVS ÆNEAS, ET FIDVS ACHATES.

QValitates, & virtutes eximiæ, quæ in Stanislao Koniecpolski, ſupremo omnium exercituum Poloniæ Inclyti Regni Duce, & in Nicolao Oſtrorog Pocillatore emicant, ſicut mentes in admirationem rapiunt, & calamos, ac linguas ad præconia mouent; ſic eorundem met amborum animos, ad reciprocum amorem excitant, & in firmam, perpetuamque amicitiam coniungunt, & vniunt. Ac proinde cum ego vtrique impenſe affectus, ſummopereque deuinctus, obſeruantiam meam patefacere, & aliquod

gratitudinis ſignum exhibere decreuerim, vtrumque in hoc Panegyrico inſerere congruũ iudicaui; neque enim fas erat à Pio Aenea Fidum Achatem diuellere. Talem ſemper habuit Pocillatorem bellorum maximus Rector Staniſlaus, talem ſe quoque ſemper præſtitit Nicolaus Pocillator. Socius, & à conſilijs fuit Staniſlao in Prußica expeditione cõtra bellicoſum Guſtauum, & in alijs contra Scythas, & Turcas.

Eo etiam tempore quo ad Catharacta Kudak ad Boriſtenem cum exercitu proceſſit, vbi nouas colonias traduxit arcem munitiſsimam conſtruxit, valido ſtrenuorum mipræſidio muniuit, & Inclyti

Re-

Regni fines auxit, dilatauit, amplificauit; nonne ego vidi Pocillatorem ſolum in reheda & à latere ipſius cum ipſo diſcedentem? Ipſe vehebatur vno comitatus Achate.

Sed quid diutius moror? hoc vnum dixiſſe ſufficiat. Cũ iam iam certamen ineundum eſſet cũ Abaſſio Turcarũ exercitus Præfecto, ipſe primò vt ſummus, ac peritiſsimus rei bellicæ magiſter omnia pro prælio proximè futuro aptè diſpoſuit, & ordinauit, in magnamque victoriæ ſpem grauibus, & efficacibus verbis militum animos erexit; deinde, vt ſapiens animaduertens, incertos eſſe bellorum exitus, & in huiuſmodi cõflictibus omnes humanis accidẽtibus ſubiace-

iacere poſſe, Pocillatorem, vt ſuum Fidum Achatem vnici ac dilectiſsimi filij tutorem conſtituit, (& Pocillator quoque ipſum ſuorum,) poſtea acies non numeroſas, (tunc enim etiam Moſcorum bellum ferueb at) quaſi alter Iudas Machabeus in Domino confidens, dextera frameam euaginatam arripiens (nec Pocillator ab illo ſeiunctus) intrepidus cõtra hoſtes direxit.

Fidum Achatem eſſe Staniſlai Koniecpolski ſi quiſquã eſt qui parum putet, eum neceſſe eſt in maximarum, & vbique notiſsimarum rerum ignoratione verſari. Quę enim gens tam immanis & barbara, tam remota, ac ſegregata reperitur in orbe, ad quam non

huius

huius celeberrimi viri fama perueneritʔ Hic ille eſt qui parentibus Palatinis Syradienſibus ortus, familiam ſuam iam per ſe ſatis claram, in qua multi Senatores veluti ſydera dignitate, & virtutibus rutilantes extitere, nouo ſuorum pręclariſsimorum facinorũ ſplendore, quaſi nouo fulgore ac nouis radijs illuſtrauit.

Hic ille eſt cãpiductor, qui vix è Turcarum carceribus, in quibus iam diu deliteſcebat eductus, & in patriam reuerſus, ſtatim contra Scythas exercitum ducit, & ſicut flumen aggeribus detentum intumeſcit, ac feruet, vnde ſublato impedimento maiori impetu diſcurrens, domibus, gregibus, paſtoribus, plantis, arboribus,

cæte-

cæteriſque ſibi occurrentibus, ruinam, pernociem, vaſtationem affert, ſic ipſe diuturno tempore carceribus incluſus, zelo intumeſcens, atque animo feruens, ſublatis vinculis maiori impetu fertur contra hoſtes, ipſos validius propulſat, reprimit, multis cladibus afficit.

Hic ille eſt cui veluti Ioſepho,& Matthiæ Coruino carceres, & vincula in honorem vertuntur: nam propter iudicij maturitatem, authoritatẽ, rei bellicæ peritiam, res præclare geſtas poſt liberationem à Sigiſmundo III. Dux ſupremus eligitur.

Hic ille eſt qui cum bellicoſi Guſtauro collatis ſignis ita feliciter pugnauit, vt aliquan-

do

do idemmet Guſtauus ſuis Ducibus, & militibus dixerit; Hodie Dominus Koniecpolski dedit nobis alapā, (dedit & alijs vicibus) noſtrum erit contendere vt par pari reddamus, quem niſi noui Turcarū motus oborti alibi euocaſſent, nūquam cum infenſis legionibus Guſtauus fines Germaniæ penetrare potuiſſet.

